RR 11

Gustav Johnson

ORIGO
CHARACTERIS
SCLAVONICI,

Vulgo dicti

CIRULICI

Paucis generatim monſtrata
Ortus vero & progreſſus Characteris,

Vulgo dicti

GLAGOLITICI,

pluribus ſigillatim deſcriptus
tanquam eximia

Hiſtoriæ Linguæ Sclavonicæ Pars

Occaſione Orationum
Quas in Gymnaſio Berlinenſi, Die II. April, M D CC XXVII poſt horam
IIX. ante meridiem, Collegæ nuper promoti, poſt publicæ
Introductionis actum habebunt.

I. Ad Rectoratum aſcendens, & *B. Dn. Chriſtoph. Fried. Bodenburgio* ſuccedens Conrector *Johannes Leonhardus Friſch.*

II. Ad Conrectoratum promotus Subrector, *Dn. Carolus Andreas Hennings.*

III. Ad Subrectoratum vero adſcitus novus Collega *Dn. Martinus Georgius Chriſtgau.*

IV. Ad Cantoris Nicolaitani munus denique vocatus & Patri ſeneſcenti Adjunctus *Dn. Jacobus Ditmar.*

Ad quas audiendas

Ampliſſimos & Spectatiſſimos Patronos;

Summe Venerandos Ephoros; Plurimumque reverendos Eccleſ. Miniſtros; Cunctosque Gymnaſii noſtri Fautores, Rei literariæ promotores, & amicos
Demiſſe & officioſiſſime
invitat

JOHANN LEONHARD FRISCH
Rector voc.

IDem & docenti & diſcenti debet eſſe propoſitum, ut ille prodeſſe velit, hic proficere. Hæc Senecæ philoſophi ethnici egregia verba de officio docentium & diſcentium omnibus placuerunt, quicunque unquam ea in epiſtolis ejus legerunt: Inprimis vero fidelibus ſcholarum publicarum inter Chriſtianos præceptoribus, quibus amor purior eandem regulam præſcribit, &, ut eam diſcipulis inculcent, ipſique ei ſatisfaciant perpetuo incitamento eſt. Hinc amplectuntur non tantum occaſiones quibus quotidie diſcentibus prodeſſe poſſunt, ſed arripiunt etiam eas, quæ certis modo temporibus offeruntur. Inter quas publicæ ad Scholarum ſolennia invitationes commodiſſimæ ſunt. Quicquid enim in ejusmodi Programmatibus vel in præfatione profertur, vel in alia ejus parte inſpergitur, vel quocunque modo additur, illud diſcipuli cupidius legunt, quia novi quid eſt; citius perlegunt, quia paucis foliis abſolvitur; lubentius legunt, quia ad hanc lectionem non coguntur; tenacius quoque omnia in memoria eorum hærent, quia hæc ſcripta die ſolenni affiguntur, circumferuntur, diſtribuuntur. Accedit ad hanc Programmatum noſtrorum commoditatem, quod ope illorum propoſitum noſtrum etiam ad multos extendi poſſit, qui olim informatione noſtra uſi ſunt, imo ad omnes quos non pudet quocunque modo proficere. Addo, quod hac occaſione Superioribus noſtris & Scholæ Patronis rationem quodammodo reddimus, quibus ſtudiis horarum ſucciſivarum partem conſumpſimus. Propriæ tamen utilitatis, fatemur ingenue, non immemores, ita prodeſſe volumus, ut ipſi proficiamus. Doctiorum enim Virorum hoc modo judicia, & ſæpe additamenta elicimus, & approbatione eorum conatibus noſtris auctoritatem quandam acquirimus.

Cogitanti vero mihi quam potiſſimum materiam ad hunc finem eligerem, occurrit, imo nutu quodam, ad quem me totum converto, præcipitur.

Hiſtoria Linguæ Sclavonicæ.

CUjus linguæ magna quidem pars Grammaticis, Lexicis, ſcriptisque varii generis exculta eſt, Hiſtoriæ tamen ejus major pars inculta jacet. Lingvæ Sclavonicæ vero nomine non intelligo eam tantum dialectum, qua incolæ Regni utuntur, quod in Geographia Sclavonia dicitur, ſed magnam illam hujus & tot aliarum dialectorum Matrem fœcundiſſimam; Inter quas notiores ſunt Polonica, Rusſica, Bohemica & Vendica ſive Veneda. Cæteræ vero plerisque adeo ignotas eſſe videmus, ut pauci nomina earum audiverint, pauciores characterem Sclavonicum viderint, quo tot magna regna & celebres provinciæ utuntur,

Cyrulicum nimirum, & qui ex eo orti ſunt, *Glagoliticum* & *NeoRusſicum*.

DE hujus Characteris Sclavonici ſive Cyrulici origine jam aliquid in genere, plura vero de Glagolitico in ſpecie dicam: Seculo poſt C. N. nono, Philoſophus quidam natione Græcus, religione Chriſtianus, nomine Conſtantinus, primus fuit qui Linguam Sclavonicam literis Græcis ſcribere cœpit, quod alii ante eum Latinis tentarunt. Hujus conatus ipſæ Sclavonicæ literæ, etiam hiſtoria tacente, teſtes eſſe poſſunt. Figuram enim Græcarum literarum omnium, quas vocamus majores (minores enim tum non erant) adhuc in eis agnoſcimus.

Quia vero Sclavonicæ gentes ſonos in pronunciatione quarundam Vocalium, Diphthongorum & Conſonantium habent, quos literis Græcis non exprimere potuit Conſtantinus, his peculiaribus ſonis novas finxit figuras. Deinde adſcripſit cuilibet literæ, tam Græcæ, quam a ſe inventæ, Sclavonicum quod-

dam

dam Vocabulum, quod ab eadem litera incipit. Hoc vocabulum postea, ſicut apud Hebræos, nomen literæ manſit, cui adſcriptum erat. Exempli cauſa literæ Græcæ A addidit pronomen Sclavonicum As (lat. ego) Ab hoc Pronomine hæc litera nunc vocatur As, loco antiqui nominis Alpha. Eodem modo novæ Figuræ, e c. qua ſonum Literarum tſch indicare voluit, adſcripſit vocem Sclavonicam tſcherw, quæ adhuc nomen hujus literæ apud omnes eſt. Propter hæc nova literis Græcis adſcripta nomina, & propter novas iisdem additas characterum figuras Conſtantinus dicitur literarum Sclávonicarum inventor: In primis a Pontifice Romano Iohanne IIX in Epiſtola (a) qua conceſſit primum Slavis, Latinæ Eccleſiæ in Moravia adhærentibus, linguæ Sclavonicæ publicum in cultus divini cæremoniis uſum.

Non

(a) Hæc Epiſtola Pontificis invenitur apud multos magnæ auctoritatis Scriptores & Viros ſummarum dignitatum in Eccleſia Latina e c. in Baronii Annal. Eccleſ. ad A. 880. n. 19. In Æneæ Sylvii poſtea Pii II. Pontif. Rôm. Hiſtoria Bohem. c. 3. Item in Dubravii Epiſc. Olomucenſ Hiſtor. Bohem. l. 1. c. 3. In Iren. della Croce Hiſtoria di Trieſte p. 613. &c. Sed pleriqve eam tantum citant, ut pondus addant elogio Linguæ Sclavonicæ, pauci eam afferunt integram. A nobis vero merito integra & ſæpius repetenda eſt, ut Pontificis hujus infallibilitate confundamus ſuperſtitionem eorum qui linguam tantum Latinam excluſis omnibus aliis in rebus ſacris admittere volunt. *Literas* (inquit Pontifex Ioh. IIX) *Sclavonicas a Conſtantino quondam Philoſopho repertas*, quibus Deo laudes debitæ reſonant, Jure laudamus, & ut in eadem lingua Chriſti Dei noſtri præconia & opera enarrentur jubemus. Neque enim tribus tantum, ſed omnibus linguis Dominum laudare authoritate Sacra monemur, quæ præcipit, dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Et Apoſtoli repleti Spiritu S. locuti ſunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cœleſti quoque tuba inſonat, monens: Omnis lingua confiteatur quia Dominus noſter IESUS CHRISTUS in gloria eſt Dei Patris. De quibus etiam in prima ad Corinthios epiſtola ſatis & manifeſte eos admonet, quatenus


Non retinuit vero hic Philoſophus & Characteris Sclavonici Auctor nomen Conſtantini usque ab obitum, ſed poſtquam aliquandiu in Moravia Epiſcopus fuiſſet, Romam rediens, ibidem nominis Latini loco adoptavit Græcum Cyrilli. Per quam vero mutationem nominis, quia Scriptores omnes eum deinde conſtanter neglecto Conſtantini nomine, Cyrillum appellant, (cum tamen illud diutius quam hoc habuiſſet) in hac Hiſtoriæ parte moleſta orta eſt confuſio. Quam auxit Methodii, Fratris Conſtantini, in Epiſcopatu Moraviæ ſuccesſio. (b) Ita ut multi e Conſtantino quondam (c) Philoſopho, poſtea dicto Cyrillo, fecerint duos, ex illo patrem ex hoc filium; Alii vero Methodio

---

nus lingvis loquentes Eccleſiam Dei ædificemus. Nec ſane fidei vel doctrinæ aliquid obstat ſive Misſas in eadem Sclavonica lingua canere, ſive Sacrum Evangelium & Lectiones divinas Veteris & Novi Teſtamenti bene translatas & interpretatas legere, aut alia Horarum officia omnia pſallere. Quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam ſc. Græcam & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem & gloriam ſuam.

(b) Teſtatur hoc Dubravii ſeries Episcoporum, quæ hiſtoriæ ejus Bohemicæ addita eſt, & confuſionem horum nominum & fratrum his verbis tollit: Primus Archiepiſcopus Moraviæ *Cyrillus*, natione Græcus, *prius Conſtantinus Philoſophus dictus*, a Nicolao I. pontifice Max. A. C. 887. Sedem Velegradenſem ſuscepit, poſtquam Triballos primum, inde Suantoplucum Moravorum Regem, cum univerſa gente, (quæ Viſtula, Danubio, ac Vago Flumine terminabatur) in fide Chriſti initiarat. Fuere hi Marcomanni Veterum quondam hiſtoriis celebratiſſimi. Hic quum Eccleſiæ quinque ferme annis præſediſſet, Archiepiſcopatui cesſit, Adrianique Pontificis nutu *Methodium fratrem Eccleſiæ Velegradenſi præfecit.*

(c) Plerique legunt in Epiſtola Iohannis IIX Pontif. *a Conſtantino quodam Philoſopho*; Sed Antonius Pagi in Critica T. III. ad annum 880, n. 61. pro *quodam* reſtituit feliciter *quondam*: Id quod cum Dubravii verbis: *Prius Conſtantinus Philoſophus dictus*, convenit, & hiſtoriæ verum ſenſum & nexum conſervat & confirmat.



Charact: Glagol: Typogr:
Major: minor: minimus:
In MSS.
Maj: minor.
pronunciatio
Typographicus
In MSS
pronunciatio
a
b
w
g
d
e
sch. lene
s. lene
s. lene
i
i
j
k
l
m
n
o
p
r
s. fort
t
u
ph
ch
ot
schtsch
tz
tsch
sch
Ja
Ju
wr. pr.
wo. go.
ko. no.
ta, w.
sadj.
jest. swato.
Kristowa.
Kapitli.
je. ot
Krala
100
700
1000

dio Fratri tribuerint, quæ de Cyrillo commemorantur. (d) Nova quoque ratio scribendi linguam Sclavonicam non a Constantini, sed a Cyrilli nomine dicta est Cyrillica, sive, ut plerique hodie corrupte scribunt Cyrulica, cum potius, si Sclavorum pronunciationem sequi vellent, Kiriullica scribere deberent, (Vocalis u additur ad indicandam aliquo modo pronunciationem Sclavonicam literæ liquidæ. l.)

Apices hujus Characteris Cyrillici beneficio aliquot Typographicarum officinarum apud Italos & Russos manserunt fere incontaminati & irretorti. In Manuscriptis, vero partim per calami mercenarii furorem Calligraphicum, & tachygraphicum, hoc est, per eos qui vel inutilem literarum ornatum, vel majus e scribendi celeritate lucrum affectarunt; partim per scribarum imperitiam & negligentiam, adeo mutatus est, ut ex eo alius & quasi novus ortus sit. Eodem modo ac e Græcæ & Latinæ lingvæ Charactere majori hodiernus minor natus est, & e Germanicæ linguæ figuris typographicis tot aliarum monstrosarum molesta seges adhuc quotidie provenit. Accepit quidem hic corruptus scribarum Sclavonicorum character novum nomen, & vocatus est *Glagolicus* sive *Glagoliticus*, sed latet sub figurarum ejus larva vetus & genuinus Cyrillicus, qui, lineamentorum qualitate fere amissa, eundem tamen constanter ordinem, eandem pronunciationem, idem literarum nomen, tanquam verissimos originis testes retinet. In iisdem etiam regnis & provinciis, quibus Glagoliticas literas scribarum insania obtrusit, Croatiæ, scilicet, Dalmatiæ aliisque, Cyrullicus simul, ut archetypus, in usu est.

B Gla-

(d) Hæc & alia omnia certa & incerta, Ioh Georg. Stredowski Parochus in pago quodam Moraviæ, collegit, connexit, & Sanctorum suorum Cyrilli & Methodii historiæ, seu potius fabulæ, magnam partem inde pertexuit. (Ann. 1710. Solisbaci edit. 4to.)

Glagoliticus vero dicitur a Verbo Sclavonico glagoliti; (loqui) quia hac ſcribendi ratione primum vulgaris dialectus, & nihil fere quod ad res ſacras ſive eccleſiaſticas ſpectabat expreſſum eſt, quemadmodum in oppoſitione Linguæ Slavonicæ, & characteris Cyrillici, qui in rebus Theologicis & moralibus à typographis olim tantum apud Ruſſos in uſu fuit, character illorum, quem ſcribunt, ſive tachygraphicus, (Skoropiſs) & Dialectus quam eo exprimunt, ſimplex ſive vulgaris (proſtoi) dicitur.

Qui Hieronymo hujus characteris Glagolitici inventionem attribuunt, vocant eum *Hieronymianum*, ſed fruſtra diſtinguunt eum à Cyrulico, e quo ortus, & ita multo junior eſt; non enim in primis ſtatim annis eo deformitatis pervenit, quo nunc eum conſpicimus. Et qui Cyrillici auctorem faciunt Hieronymum, refutantur ab Hiſtoriæ Civitatis Tergeſti (vulgo Trieſt) Auctore Jreneo della Croce, p. 614. non tantum Pontificis Joh. IIX teſtimonio, qui Conſtantinum ejus inventorem vocat. ſed & temporis ratione, quia diu poſt mortem Hieronymi inventio literarum Sclavonicarum Conſtantino à Pontifice tribuitur. Qui certe hanc gloriam invidiſſet homini Græco, linguæ barbaræ in rebus ſacris Curiæ Romanæ minus grato Patrono, & auctoritati Pontificis Rom: ſubjecto epiſcopo, ſi vel veſtigium in hiſtoria de merito hoc Hieronymi, Sancti, & doctiſſimi Eccleſiæ Latinæ patris inveniſſet. Diſplicuit ſententia hæc etiam Scaligero, quia Hieronymi Verſio Bibliorum Dalmatica, ſcripta eſt charactere Dalmatio, id eſt, Latino, non Serviano.

Servianus dicitur hic Scaligero Cyrillicus character, quia apud Serviæ incolas in uſu eſt; ſed minus commode hac ratione, & præter neceſſitatem fit πολυώνυμος. *Croaticum* jamjam alii eum nominant; & quia Bulgari etiam eum receperunt. poſſet etiam Bulgaricus appellari. Propter Verſionem tamen Hieronymianus dici poſſet, nam Codex Sclavonicus non videtur eſſe nova verſio, ſed Hieronymi Dalmatica, literis tantum aliis ſcripta, &

in

in paucis ob dialectum mutata, id quod Doctissimi Patris hujus auctoritas, & in scientia linguarum excellentia; seculi vero quo Cyrillus & Methodius vixit, barbaries & ignorantia verisimillimum facit. Eadem ratione, qua etiam character Glagoliticus, quo libri ecclesiasticæ devotionis, qui in hunc usque diem apud Sclavonicas gentes quasdam in usu sunt, non propter inventionem, sed propter Hieronymi versionem Hieronymianus dicitur (e)

Qui Glagoliticam Scripturam vocant Buchwitzam (f) utuntur vocabulo Sclavonico (buch) sive ut alii scribunt, & pronunciant: (bog) hoc est (Deus) e quo primitivo addita terminatione (witza) fit adjectivum & significat apud eos (divina) quia hæc scriptura in edendo, ut vocant, divino officio, adhibetur ad differentiam scripturæ codicis Biblici, quæ eodem Sclavonico formationis modo Cyrulwitza appellatur.

Character Glogoliticus triplici nobis occasione innotuit:

I. Per Orationem Dominicam, quam edidit Vir maxime reverendus & ob linguarum peritiam celeberrimus Dominus Andreas Müllerus, Consiliarius Electoralis Brandenburgicus, & Præpositus Eccles. Berlin. in Centuria Versionum hujus Orationis, pag. 56. quam exscripsit e Catechismo quodam Sclavonico Venet. MS, ut in margine annotatum est. Nomen Venetiarum mihi primo intuitu dubium movit, quo respectu hic Catechismus dicatur Sclavonicus? utrum Sclavonica lingua in genere intelligatur, aut in specie quædam ejus dialectus? Venetiis enim Dialecti om-

(e) Blondus in Italia illustrata reg. XI. scribit: Hieronymus officium divinum, quo Catholici utuntur Christiani, ex Græco in idioma Sclavonicum traduxit, quod gloriosus pontifex Eugenius IV. per nostras manus illis confirmavit.

(f) Hornius in præfatione in Boxhorn. Orig. Gall. Hieronymus, inquit. Scripturam Buchvvitzam, nomine nescio unde sumpto, dictam reponit: Cyrillus aliam, quæ ab illo Cyrulvvitza audit.

omnium regnorum quæ in Hungariæ vicinia ſunt Sclavonicæ dicuntur. Sed ceſſavit hoc dubium, poſtquam contuliſſem lectionem, quæ huic Orationis Dominicæ verſioni latinis literis ſubjecta eſt, & inveniſſem Croaticam pag. 53. & Glagoliticam p. 56. unà cum titulis, manifeſto errore transpoſitas eſſe. Ea quæ Croatica dicitur Characteri Glogolitico ſubſcribenda eſt, & quæ huic addita, cum Titulo (Sclavonica) in ejus loco reponenda. Hujus Orationis Dominicæ in Croaticam Dialectum verſæ, charactere Glagolitico ſcriptæ, & in ære ſculptæ, primo loco hic mentionem facere volui, quia apud nos in multorum manibus eſt, propter iteratam Centuriæ Müllerianæ editionem, quam debemus Sebaſtiano Godofredo Starck: Gymnaſii noſtri Conrectori olim meritisſimo, amico & Collegæ meo ſuavisſimo, deinde Profeſſori Linguarum orient: Gryphiswaldenſi, qui Vitam Mülleri addidit eamque docta præfatione ornavit. (Berlini Anno. 1703. 4to.)

II. Anno 1561. L. Baro Johannes Ungnad, decus familiæ Comitum de Weiſenwolf, patriæ ſuæ Carniolæ, vicinisque regnis & provinciis in rebus religionis purioris, ſuccurrere volens; Verſionis Novi Teſtamenti & aliorum librorum edendorum curam ſuſcepit, (g) & dirigente doctisſimo Theologo Primo Trubero, opemque ferentibus Antonio Dalmata, ſacerdote ex Servia, & Stephano Conſule, ſacerdote ex Boſnia, Typographiam triplici charactere inſtructam, Cyrillico ſcilicet, Glagolitico, & Latino, in Ducatu Wirtenbergico comparavit. Sumptuum onus ipſe quidem maxima ex parte tulit, ſublevavit illud tamen Munificentia Regis Bohemi Maximiliani, & trium Electorum Principum, Saxonici, Brandenburgici (h) & Palatini

---

(g) vid. Matthæi Dreſleri Chronic: Comitum Ungnad: Lipſ. 1601. 4to

(h) Liberalitas hæc Elect. Brandenb. omnibus iis notanda eſt qui Marchion. Brand: merita in Patriam, Religionem & rem literariam colligunt.

ni, Landgrafii etiam Hassiæ, & Ducis Wirtenbergici. Hæc typographia fuit prima, e qua in Germania prodierunt libri charactere Glagolitico expressi. Fuit vero, proh dolor! in hunc usque diem etiam ultima. Dom: Baro Joh. Ungnad commendavit quidem eam paulo ante obitum suum uxori & hæredibus tanquam sibi charissimum thesaurum, postea tamen aut periit, aut in angulo quodam otiosa latet, quia ab eo tempore ne linea quidem hoc charactere expressa lucem vidit. Fuerunt & libri editi non feliciores. Nam plurima pars incidit in manus eorum, qui Versiones Bibliorum in Vernaculas quovis modo impediunt, à quibus in itinere in Slavonicæ Linguæ provincias vi rapti Neustadii in Austria retenti & inclusi sunt (i) Quo factum est, ut jam in perpaucorum manibus sint. Principes quibus vel dicati, vel propter sumptuum partem missi sunt, pauca exemplaria in Bibliothecis suis, ab Anno 1562. conservant. In quarum numero etiam Regia & Electoralis Berlinensis est. (k) Captiva vero illa volumina, siqua in Austria integra supersunt, merentur ut Reges & Principes Evangelici, Aulæ Viennensis amici, partem eorum vel per legatos suos redimant, vel sumptuum titulo repetant, vel alio quocunque commodiore modo e carceris situ liberent, in Bibliothecarum ornamentum, in Germaniæ, promotricis studii linguæ Sclavonicæ gloriam; in Doctorum Virorum commune gaudium; in Ungnadiorum denique meritorum debitam compensationem. Comites & Domini quidam in Austriacis provinciis acceperunt etiam exemplaria nonnulla, unde Novum Testamentum & Explicatio pericoparum

(i) vid: Herman: Fabronium Moseman in der Summarischen Welt-Historie.

(k) Videtur hoc latuisse Dn. Andr. Müllerum, nam ex hoc Novi Test. exemplari Orationem Domin: Glagolitice scriptam cum MS Veneto conferre potuisset.

rum Evang. Dominic. ſive Poſtilla, venerunt in manus B. Dn. Doctoris Lichtſcheidii, præpoſiti Colonienſis apud nos, ex hujus vero hæreditate in meas. Non pauci præterea horum Codicum Bibliopolis Baſileenſibus, qui eo tempore omnium celeberrimi erant, transmisſi ſunt, ut quocunque modo diſtraherentur: (l) Tam rari tamen ubique fere facti ſunt, ut Dom. Valvaſor, Vir harum rerum peritisſimus, accuratisſimusque hiſtoriæ Carniolæ vicinarumque provinciarum ſcriptor, publice confiteatur, ſe Codicem Novi Teſt: Glagoliticum nunquam vidiſſe. (m)

Et hic Illuſtris: Dom. Baro Valvaſor Tertius eſt qui memoriam & figuras Characteris Glagolitici poſteritati, in opere ſuo hiſtorico reliquit (n). Idem teſtatur Miſſale Slavonicum Romæ ſæpius typis Glagoliticis edi (o). Omiſit Dn. Valvaſor multa, quæ in genere ad Characteres Glagoliticos, in ſpecie vero ad ſcriptorum typis Ungnadianis editorum, faciliorem lectionem pertinent. J. G. Stredowski Tabulam ſuam e Valvaſore quidem deſcripſit, & hiſtoriæ Cyrilli & Methodii inſeruit, ſed nec omiſſa ſupplevit, nec errores correxit. Hinc conſtitui novam Tabulam characterum Glagoliticorum huic hiſtoriæ addere, eamque Studioſæ Iuventuti notis quibusdam explicare.

Notæ

(l) Dreſſerus in Chron. Ungnad. pag. 81.

(m) In Topographico - Hiſtorica deſcriptione Ducatus Carniolæ Tom. II. p. 346.

(n) ibid Tom. II. p. 272

(o) Quorum editionum unam in Catalogo Bibliothecæ Sparvefeldianæ conſpexi, ſub titulo Directorii Sacerdotum. Ann. 1605. 4.

Notæ ad Tabulam, quæ Characteres Glagoliticos in aere ſculptos continet.

TAbula hæc diviſa eſt linea perpendiculari crasſiori in duas æquales partes, quarum quælibet dimidium literarum, id eſt ſedecim comprehendit. Nomina Slavonico-Glagolitica harum literarum eodem adſcriptorum numerorum ordine, hæc ſunt.

1	As	a	9	Semla.	s. lene	17	on	o	25	Ot,	ot
2	Boga	b	10	Iſche	i	18	Pokoi	p	26	ſchtſcha.	ſchtſch
3	Widil	w	11	I	i	19	Rtzi	r	27	tzi	Z
4	Glagol.	g	12	Je	j	20	Slowo	ſ forte,	28	tſcherw	tſch
5	Dobro	d,	13	Kako	k	21	Twerto	t	29	Scha	ſch·forte
6	Jeſt.	e	14	Ludi	l	22	iik	u	30	Jer.	
7.	Schiwjete.	ſch, lene	15	Misliti	m	23	fert.	ph	31	Jad	Ja
8	Selo	s lene	16	Naſch	n	24	Chier	ch	32	Jus.	Ju

Sibilantes num. 7. 8. 9. 20. 29. leniores & fortiores in lingua Sclavonica bene diſtinguuntur; 8. quidem & 9. diverſæ figuræ, eandem vero pronunciationem habent, & conveniunt Germanico ſ. poſt vocalem longam vel diphthongum, ut in Aas, Käſe, n. 20. pronunciatur ut ſ. duplex in faſſen, meſſen, Riſs. n. 7. ſch lenius, ut g. Gallicum ante e &, i. 29. vero ut noſtrum ſch in Flaſche, Schall, Tiſch.

n. 6. (e,) ſive epſilon verſus ſiniſtram apertum, & in MSS duobus punctis notatum, ſignificat, literam vocalem hanc non cum aſpiratione Sclavonica eſſe exprimendam, Sed ut Græcorum ε Ψιλόν. Si vero hic ſemicirculus verſus dextram apertus eſt, ablatis punctis, pronuntiatur cum aſpiratione Sclavonica (quæ convenit noſtro Jod) ut Je.

n. 30. idem valet ac Hebræorum ſcheva ſub litera finali mobili.

Utraque partium majorum hujus tabulæ, ſubdividitur in tres alias columnas, tenuioribus lineis perpendicularibus diſtinctas. Prima habet tres ſeries, quæ conſtant Charactere primæ, ſecun-

dæ & tertiæ magnitudinis, quo typographia Ungnadiana usa est & Italicæ adhuc utuntur. Spatia in secunda ac tertia serie vacua relicta, indicant omissas figuras plane convenire cum majore & minore charactere a dextra & sinistra parallelo.

Secunda columna exhibet earundem literarum Glagoliticarum majores & minores figuras in Manuscriptis.

In Tertia columella literæ Latinæ additæ sunt, ad exprimendam pronunciationis convenientiam.

Sub inferiori linea transversa continentur partim literæ contractæ in unam figuram, sive compendia scribendi, vulgo abbreviaturæ dicta; partim vero notæ, quæ literis superius adduntur: Abbreviaturarum harum ratio communis hæc est: Antecedentis literæ pars posterior fit simul pars anterior vel inferior sequentis.

ut n. 1. literæ r superior pars, erigitur in posteriore parte lit. w & p. quia hæc inferiorem partem literæ r simul exprimere potest,

n. 2. literæ o dimidium superius, stat in postoriore parte literæ w, sed scribarum incuria hanc partem literæ o etiam aliis literis appinxit, exempli causa literæ k & n, & aliis.

n. 3. Sunt exempla literarum quarundam lateribus conjunctarum, t, & a; l, & w.

n. 4. Nota circumflexi indicat literam unam vel plures omissas esse, ut in voce ssadj, circumflexus monet figuram n. 30. I. deesse & literam d. legendam esse quasi illi scheva Hebraicum subscriptum esset, qui sonus apud Russos, & figura, quæ eum indicat, dicitur Jer.

Super t & w notat circumflexus absentiam vocalis harum præpositionum o. easque legendas esse to & wo.

n. 5. Circumflexus super (e) & (ſ) integrarum vocum contractionem ostendit, illa legitur jest, hæc sswato.

n. 6.

n. 6. Super litera r, in voce Krstowa, idem accentus indicat Vocalem brevissimam, sive nexum literarum (r) & (s) omissum esse.

n. 7. Idem super p vocis kapli, defectum syllabæ *it* supplet & legenda est kapitli.

n. 8. Accentus acuti figura, literæ E inscripta, monstrat hanc vocalem legendam esse cum aspiratione Sclavonica, ut je, O vero cum superscripto t, exhibet præpositionem ot.

n. 9. peculiarem denique & Sclavonicam quarundam literarum pronunciationem indicat circumflexi figura ut, in voce krala sonum literæ (l) aliis linguis præter Sclavonicæ dialectos minus notum.

n. 10. Communissimus ejus usus est, quando literæ loco numerorum ponuntur.

Libri qui hoc Charactere e Typographia Tubingiana prodierunt, sunt:

I. Novum Testamentum, duabus partibus. Tubingæ Ann. 1562. 4to. Quarum prior comprehendit Evangelistas & Acta Apostolorum, posterior Epistolas Apostolorum & Apocalypsin.

Utramque dedicavit Primus Truber Maximiliano Regi Bohemiæ, Germanicis verbis, & simul describit religionem Græcorum, cui plerique Christiani Sclavonicam linguam loquentes, & Cyrulicis Glagoliticisque literis utentes, in Bosnia, Servia & Bulgaria, addicti sunt. Laudatque subsidii hujus Regis ad erigendam hanc utriusque Characteris Typographiam, causam, ut scilicet Christiani horum regnorum, imo Turci ipsi, quibus eadem lingua ibidem vernacula est, Scripturam S. legere possint. Confirmat etiam quinque gentes, sive incolas in Croatia, Dalmatia, Bosnia, Servia, & Bulgaria, duplices has characterum figuras habere, sed tantum in libris sacris, item in

Catechiſmo quodam ſed non integro (p) Refert denique quod Interpretes ſive Novæ Novi Teſtamenti hujus verſionis auctores in plerisque Latinam Erasmi, & Germanicam Lutheri ſecuti ſint verſionem, non tamen neglectis aliis, inprimis Bohemica propter quædam difficiliora vocabula.

II. Præcipui, Fidei Chriſtianæ articuli e locis Theologicis Philippi Melanchthonis. Tubingæ 1562. 4to. 1½ Alphab. Duci Saxon: Auguſto dedicati.

III. Poſtilla; collecta, ut Truberus in dedicatione & præfatione Germanica ſcribit, e Poſtillis Lutheri, & Phil. Melancht. Item e Joh. Brentii explicationibus, &, ut in præfatione ad Nov. Teſtam. fol. 10 additur, e Losſii Poſtilla. Anno. 1562. 4to. 2⅔ Alph.

IV. Abecedarium, cujus Titulus eſt: Tabla ſa ditzu &c. Sglagolskimi sſlowni tſchitati &c. h. e. Tabula pro liberis, ut Glagolitice ſive verbis in communi ſermone uſitatis legere, & præcipuos magisque neceſſarios articulos veræ & antiquæ fidei Chriſtianæ facilius diſcere posſint. Continet hoc Abecedarium tantum literas Glagoliticas, maximæ, minoris, & minimæ figuræ, ſine ulla vero inſtructione, quomodo pronunciari debeant. Additæ ſunt literæ, quæ numerorum loco ſunt, & unica pagina ad formandas ſyllabas pertinens, aliaque Nominibus propriis e S. ſcriptura repleta, propter lectionis exercitium. Cæterum in hoc Alphabeto tres literæ omiſſæ ſunt, quibus tamen typographia Tubingenſis uſa eſt, quas Valvaſor in Tabula ſua bene addidit. Deſunt etiam abbreviaturæ; Item ſigna literis inſcripta.

V. Catechiſmi, elementario huic libello additi, Titulus eſt: Libellus, quo continentur articuli fidei Chriſtianæ, brevi addita

---

(p) Ex hoc Catechiſmo ſine dubio D. Andr. Mülleri oratio Dominica deſcripta eſt.

addita explicatione pro junioribus & ſimplicioribus. Una cum ſermone, ſive homilia, quomodo vox fidei in S. ſcriptura intelligenda ſit. In Croaticam linguam translatus, a Stephano Conſule, Dalmatino. Tubingæ, 8vo. 1561. Truberus Germanicam fecit præfationem, Stephanus Conſul ſubſcripſit quidem ſolus, quod in aliis libris non factum eſt, addit tamen: auxiliantibus bonis viris Croaticæ nationis.

His paucis hac prima vice literarum Sclavonicarum expertibus prodeſſe volui, Lectores doctiores, & magis expertos rogans, ut moneant, addant, continuent, perficiant, & meo proficiendi deſiderio etiam non deeſſe velint. Proxima occaſione hanc linguæ Sclavonicæ hiſtoriam continuaturus dicam, Deo volente, quædam de charactere Cyrulico in ſpecie, & de orto ex eo charactere Neo-Ruſſico.